



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

Epistola XLIX. Alexandri Papae III. Ad Hvgonem. De praedicto libro ad se
misso gratias agit: eique conuersionem imperatoris Constantinopolitani
commendat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

mino, intelligimus concepisse : de articulis Christianæ fidei, in quibus tu & tui a nobis discordare videmini, in proximo per Dei misericordiam eruditus nihil prorsus timere poteris, quod de errore tuam vel tuorum salutem praepeditat, vel in vobis nomen Christianitatis offuscet.

Rogamus itaque excellentiam regiam, monemus & hortamur in Domino, quatenus eumdem Philippum pro reuerentia beati Petri & nostra, sicut virum honestum, discretum, & prouidum, & a nostro latere destinatum, debita benignitate recipias, & reuerenter ac deuote pertraches. Et si tua voluntatis est & propositi, sicut omnino decet esse, vt erudiaris apostolica disciplina super his quæ idem Philippus ex nostra tibi parte proponet; ipsum diligenter audias, & exaudias, & personas honestas, & literas tuo sigillo sigillatas, quibus propositum & voluntatem tuam possimus plene cognoscere, ad nos cum ipso transmittas. Quia quanto sublimior & maior haberis, & minus de diuitiis & potentia tua videris inflatus, tanto libentius tam de concessione ecclesia in Vrbe, quam etiam de conferendis altaribus in ecclesia beati Petri & Pauli, & Ierosolymis in ecclesia Sepulcri Domini, & in aliis quæ iuste quaesieris, tuas curabimus petitiones admittere, & efficacius exaudire; vtpote, qui desiderium tuum super hoc, quod multa commendatione dignum extitit, modis omnibus, quibus secundum Deum possumus, volumus promouere, & tuam & tuorum animas desideramus Domino lucrifacere. Data Venetiæ in Riualto quinto Kalendas Octobris.

EPISTOLA XLIX. ALEXANDRI PAPÆ III.

AD HVGONEM.

De prædicto libro ad se missa gratias agit: eique conversionem imperatoris Constantinopolitani commendat.

*Alexander episcopus seruus seruorum Dei dilectio filio magistro
Hugoni salutem & apostolicam benedictionem.*

COGNOSCENTES laborem plurimum, quem sustinuisti in componendo librum, quem nobis per dilectum filium

filium nostrum magistrum Cacciaredum misisti; atten-
dentes quoque fructum, quem exinde speramus ecclesiæ
Dei prouenturum: librum ipsum grata & læta manu re-
cepimus, & deuotæ solicitudini & liberalitati tuæ vberri-
mas propter hoc gratiarum referimus actiones, deside-
rium, & voluntatem habentes, te, quem haetenus relatio-
ne nostrorum, qui a partibus Constantinopolis reuerte-
bantur, carum habebamus, de cetero feruentius diligen-
di, & multo cariorem habendi, & sincerius amplexandi.
Rogamus autem prudentiam tuam, soliciteque mone-
mus, vt sicut pro Deo & pro deuotione ecclesiæ præscri-
ptum librum composuisti, ita quoque carissimum in Chri-
sto filium nostrum illustrem & gloriosum Constantino-
politanum imperatorem ad deuotionem & reuerentiam
sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ exhibendam, & ad vnitatem
ipsius diligentius prouoces, monitis & exhortatione
inducas, vt sicut esse debet, vnum fiat ouile, & pastor vnu.
Data Troiæ Idibus Nouembris.

EPISTOLA L.

ALEXANDRI PAPÆ III.

AD OMNES EPISCOPOS.

Eos ad Concilium generale Lateranense conuocat.

Alexander episcopus seruus seruorum Dei, &c.

QVONIAM in agro Domini, &c. Extat infra in Concilio
Lateranensi generali, anno 1179.

EPISTOLA LI.

ALEXANDRI PAPÆ III.

AD VVILIELMVM ARCHIEPISCOPVM
SENONENSEM.Contra Petrum Lombardum, dicentem Christum,
vt est homo, non esse aliquid.

CVM in nostra olim esses præsentia, &c. Extat infra in
Actis Concilii Lateranensis generalis, anno 1179.

Concil. Tom. 27.

Qq